

Ordinis medicorum lenensis h.t. decanus D. Ernest. Antonius Nicolai clarissimi medicinae candidati Beniamini Zeitmann ... habenda indicit : praemittitur de sanguinis missione in febribus intermittentibus : particula septima.

Contributors

Nicolai, Ernst Anton, 1722-1802.
Zeitmann, Benjamin, 1770-1808.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

lenae : Literis Goepfertii, [1790]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nyus6ccc>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ORDINIS MEDICORVM IENENSIS

H. T.

DECANVS

D. ERNEST. ANTONIVS
NICOLAI

CLARISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

BENIAMINI ZEITMANN

MOENO - FRANCOFVRTANI

A. D. IV MARTII MDCXC.

HABENDA

INDICIT.


Praemittitur

de sanguinis missione in febris intermittenibus

Particula septima.

IENAE

LITERIS GOEPFERTII.



Sanguis modum copia excedens cor, ejusque vasa ventriculos sinus et auriculas nec non pulmonum vasa tam massa quam mole sua praeter naturam aucta justo magis extendit eorumque contractioni resistit, quae omnia augentur a calore febrili, qui sanguinem expandit. A nimia ventriculorum sinuum et auricularum vasorumque maiorum cordis extensione anxietas, et, si eorum contractioni opposita eo vsque increfcit resistentia sanguinis, vt istam ad tempus suspendat, animi oritur deliquium. Vasa pulmonum sanguifera sanguine iusto maiori copia peccante et simul calore expanso nimis repleta et distenta non possunt non bronchia

et vesiculas pulmonales comprimere aerisque in pulmones introitum et respirationem impedire eamque reddere difficiliorem ad suffocationem vsque. Omnia ista haecenus commemorata mala, quae in febribus intermittentibus a plethora vel sola vel cum spissitudine coniuncta proficisci demonstraui, omnium optime sanguinis missione sufficienti praecaueri vel tolli posse, quilibet rerum medicarum non ignarus perspiciet, hinc merito ista instituitur, donec plethorae signa cum febre euanescant, aut, si febris adhuc supersit, haec conuenienti ratione possit expugnari. Intermittentes enim febres saepius omnino tolli aut vna aut repetita venae sectione absque omni alio remedio, observationibus supra adductis probatum est. Deinde in febribus intermittentibus tunc, vbi haemorrhagiae consuetae, vt mensium et haemorrhoidum fluxus, suppressae sunt, sanguinis missionem necessariam esse iudico, quoniam exinde non potest non nasci plethora, et supra adductae fuerunt

runt obseruationes, quibus constat, magno cum fructu hisce in casibus venae sectionem esse celebratam et hirudines ad anum adplicatas. Tum sanguinis detractio in febribus intermittentibus est instituenda, vbi sanguinis per viscera abdominis est impeditus et retardatus, vt in hypochondriacis, hysteriis, haemorrhoidariis, grauidis, quia spasmi et congestiones et mala ex his oriunda, quibus memorata eiusmodi subiecta sunt obnoxia, febris intermittens paroxysmo redeunte augentur atque exacerbantur. Nec dissentit a me FRID. HOFFMANNVS Oper. Tom. IV. Part. I. Sect. I. cap. I. obs. et caut. §. VIII. sanguinis per venam sectam missio, inquit, auferendis quartanae causis directe quidem non respondet, nihilo tamen fecius, vbi suspicio est, febrem ab impedito sanguinis per abdominis viscera progressu sustentari, vt in iis, qui pathematibus hypochondriaco-hysteriis obnoxii sunt, fluxum haemorrhoidalem antea experti, aut molimina ad hunc per-

sentiscunt, vtiliter vtique vena in pede pertunditur, adeo, vt vnica venae sectione quartanam contumacem penitus discussam esse obseruauerim. Quum enim grauidae tantum non omnes sint plethoricae, venae sectionem, si quartana corripiantur, non modo ferunt, sed etiam poscunt, ne intenso per spasmos febriles motu vterus ad praematuriore exclusionem sollicitetur. Eodem loco paulo post FRID. HOFFMANNVS adduxit obseruationem de generosa quadam foemina sanguinea, macilenta, quinto; mense grauida, quae Septembri, postquam in nocturno frigido nebuloso aere iter fecisset, incidit in quartanam, cui praeter consueta symptomata vehemens cephalalgia, summa praecordiorum anxietas, vomendi conatus et inquietudo iuncta erant. Medicus essentiam amaram cum alexipharmaca in paroxysmo et extra eum quotidie ad guttas minimum sexaginta porrexit, eo cum effectu, vt bini sequentes paroxysmi longe grauius impeterent et superius dictis pathe-

pathematibus intensissimus aestus, ventris tormina ac dorsi dolores accederent et abortus plane esset metus. FRID. HOFFMANNI hinc rogatum est consilium et ex eo quaesitum: an venae sectioni, quam reformidarat primus medicus, locus sit? Ille vero probe perpensis circumstantiis eandem oppido necessariam iudicavit. Administrata igitur fuit sequenti post febrem die et sanguis impetuose exsiliit. Tum mixturae nimis calefacienti paulo ante dictae substituti sunt pulveres temperantes nitrosi cum emulsione amaleptica. Inde sequens paroxysmus mitior factus et vsurpatis per aliquod adhuc dies iisdem demum electuario suo antifebrili ex cortice chinae aliisque composito parce, sed iterato adhibito penitus abacta fuit febris et matre et foetu saluis. In Epricrifi subiunxit, quod, sicuti tempestiva sanguinis missio grauidis, quae ordinario plethoricae, ad praecauendum abortum necessaria est, ita multo magis in iis ex vsu sit, quando motu febrili calido vel medicamento exae-

fluante sanguis in vehementem orgas-
mum siue motum intestinum expansiuum
conjicitur. Feliciter igitur in hac feбри-
ente non potuit non succedere febris cura-
tio, posteaquam sanguis subtractus, calida-
reiecta et surrogata sunt, quae aestum san-
guinis restinguunt. Corticem autem chi-
nae grauidis etiam non nocere, sed cir-
cumspecte datum insigniter prodesse,
tum hoc, tum aliis multis constat ex-
emplis. Hactenus FRID. HOFFMANNVS.
RIVERIVS quoque Observat. cent. IV obs.
LXXII refert, septimestri grauidae duplici
tertiana correptae quater venam sectam
fuisse felicissimo successu. Porro occur-
runt febres intermittentes, quae insolito
ingenti vrenteque calore et atrocibus atque
intolerabilibus capitis doloribus, qui a ni-
mio sanguinis aestu vel vehementi ad ca-
put congestione oriuntur, modo cum
delirio coniunctis modo eo incomitatis,
sunt stipatae vel ad continuarum indolem
accedunt, nimium protractae aut dupli-
catae sunt, plane non aut parum inter-
mit-

mittunt. In omnibus huiusmodi febribus intermittentibus sanguinis detractio maxime utilis est et necessaria. Cuius rei comprobandae satis mihi erit ex tanta testium nube, quos in fidem huius veritatis vocare possem, illustrem SENAC, qui mihi est instar omnium, testem citare, qui *de recondita febrium intermittentium natura Lib. III. cap. IV. p. 228.* disertè tradit: vidi saepissime febres duplices tertianas vnica venae sectione in tertianas simplices abiisse, dimidia ergo huius febris pars tolli potest misso sanguine, sed, quod non minoris momenti est, obseruatione certa et repetita mihi constat, paroxysmos omnino mitiores fieri: postquam missus est sanguis, minus vrget calor, parcius est sudoris effluxus, dolor capitis est leuior, functiones denique omnium partium melius procedunt. Addit deinde laudatus vir sequentia l. c. p. 230: in constitutione, quae hic loci vigeat, febres erant duplices tertianae, immo multae continuarum induebant speciem; (atque
in

in iis aegri nullum percipiebant leuamen, nisi post tres aut quatuor venae sectiones); in multis ita durus erat pulsus et ita acutus dolor, ut quinquies vel sexies venae sectionem repetere cogerentur medici; si ei parcerent, ingens urensque urgebat calor, atroces erant capitis dolores, in vere continuas abire solebant febres, at, postquam satis laxata fuerat missio sanguine corporis compages, remittebant breui omnia symptomata induciasque concedeabant ad alia exhibenda remedia. Celeberrimus WILLIAM GRANT *) mari cuidam medio febris cuiusdam intermittentis calore sanguinem e vena secta mittere coactus fuit, quia eius pulsus valde celer et vehemens, oculi inflammati, mentis alienationes, capitis dolores valde ingentes erant, atque vena secta statim quies aegri, sudor aliaeque excretiones, quin omnes actiones bene succedebant. Illustris

*) Beobachtungen ueber die Natur und Heilung der Fieber, aus dem Englischen nach der zweiten sehr vermehrten Ausgabe ueberfetzt p. 76.

stris MEDICVS in febre quadam intermit-
tente maligna, quae epidemice grassata est
quamque egregie descripsit *), ante om-
nia sanguinem mitti iussit eo vsque, do-
nec pulsus euaderet mollis, idque felici
successu. Celeberrimus DONALD MONRO **)
semper tam in Anglia quam in Germania
obseruando notauit, febres intermittentes,
quae in exercitibus vere anni 1761 grassa-
tae fuerunt et homines robustos et ple-
thoricos inuaserunt, quarum paroxysmi
valde vehementes fuerunt vel quae pulsum
tempore intermissionis adhuc febrilem ha-
buerunt comitem, venaesectione magis vel
minus larga et methodo antiphlogistica
tem-

*) Sammlung von Beobachtungen aus der Arzney-
wissenschaft erster Band p. 173.

**) Kriegsarzneywissenschaft oder Abhandlung von den
Krankheiten, welche unter den Truppen im Felde
und in Besatzungen am gewoehnlichsten sind, von
Herrn Donald Monro aus dem Englischen in das
Franzoesische uebersetzt und mit wichtigen Anmer-
kungen vermehrt durch Herrn Begue de Presle
zweiter Band p. 403.

tempestiue et initio morbi adhibita valde imminutas fuisse, vt postea cortex chinae citius et tutius exhibere posset, atque hanc medendi methodum nihil damni unquam aegris intulisse, quid? quod intermittentes febres ordinatas neglecta venae sectione in continuas mutatas fuisse et corticem chinae adhibitum febres has non depulisse, sed potius neglectis venae sectione methodoque antiphlogistica auxisse, his vero ante adhibitis postea fugasse.

Haec praefari placuit occasione solemnis Actus in honorem

CLARISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

BENIAMINI ZEITMANN,

qui, quamdiu apud nos discendi causa commoratus est, id sedulo egit, vt exquisitam ac vberrimam sibi colligeret rerum medicarum peritiam, quam nunc in humani generis commodum impendere gestit. Quibus vero praeceptoribus hanc suam doctrinam in acceptis ferat, quaque ratione

ratione vitae suae fuorumque studio-
rum cursum peregerit, his mihi exposuit
verbis.

*Ego Beniaminus Zeitmannus natus
sum Francofurti ad Moenum anno millesimo
septingentesimo septuagesimo, die VIII
Ianuarii, patre Ioanne Carolo in ista
vrbe verbi divini ministro, et matre Ma-
ria Margaretha nata Cramer, quos
parentes optimos per Dei gratiam adhuc
superstites esse inter maxima optimi Nu-
minis beneficia refero, nam non solum om-
nem adhibuere diligentiam, ut in omni-
bus, quorum tenera puerilis aetas capax est,
erudirer, sed etiam in religione christiana
bene instruerer. Gratias vobis, optimi pa-
rentes! hisce publice ago habeoque maxi-
mas pro innumeris ergo me beneficiis, pro
summa vestra erga me cura et benevolentia,
quae ad hodiernum vsque diem nondum desit.
Nil magis certe in vobis habeo, quam ut
Deum vos adhuc per longum temporis spa-
tium sanos et incolumes et mihi et germa-
nis meis servet.* Fre-

*Frequentavi Francofurti maximo cum
 fructu Gymnasium, quod eius Rectore PVR-
 MANNO floret eiusque lectiones ut et illas opti-
 mi Conrectoris RAMBACHII et Prorectoris
 SCHERBII audiui. Cum vero eo perueni, ut aca-
 demiam petere possem, Ienam me contuli et
 tunc temporis Prorectore Magnifico Perillu-
 stri ECKARDT anno millesimo septingentesimo
 octogesimo septimo mense Aprili in numerum
 civium academicorum sum receptus. Acade-
 mici studii initium faciens Illustris VLRICH
 praelectiones philosophicas, tum logicas tum
 metaphysicas et anthropologicas summa cum
 voluptate et utilitate frequentavi. Beatus
 WIDEBURG mathesin puram et applica-
 tam, Illustris SVCCOW Physicam theoreti-
 co - experimentalem, Illustris EICHHORN
 historiam uniuersalem et literariam me do-
 cuit, quo facto scholas medicas adii et Ill.
 NICOLAI pathologiam tam generalem quam
 specialem docentem audiui. Ill. GRVNER
 Fautor meus maximus Methodum discendi
 medicinam, Semioticen, Therapiam gene-
 ralem, Methodum formulas conscribendi et
 histo-*

historiam Medicinæ me docuit. Eundem etiam Celsum de medicina interpretantem audiui maximoque cum fructu disputatorium, quod sub eius auspiciis floret, per longum temporis spatium frequentavi. Ill. LODER physiologiam, anatomiam, chirurgiam manualement medicam ut et artem obstetriciam me docuit eoque duce parturientibus in Nosocomio ducali opem ferri vidi et ipse tuli. Ill. STARKE fautor et patronus meus optimus, quin alter pater meusque hospes pie colendus politiam medicam, physiologiam, materiam medicam, therapiam specialem et artem obstetriciam me docuit eoque duce saepius parturientibus opem tuli; quos nunquam etiam meae curae totas commisit. Collegio eius clinico maximo cum usu interfui et hoc in collegio nec non in praxi sua privata saepissime mihi occasionem praebuit me et in chirurgia et in curatione morborum internorum exercendi. Nunquam ex museo; nunquam ex auditorio eius nisi doctior discessi. Excellentissimus FUCHS, amicus meus praecipuus, quem nunquam obliuiscar, chemiam, diaeteticam et medicinam foren-

rensem me docuit. Tandem Exper. SCHENKE osteologiam, Excellentissimus BATSCH botanicam et Clarissimus LENZ historiam naturalem mihi tradidit. Omnibus ac singulis his praeceptoribus publice ago habeoque gratias maximas.

Nuperrime ad nos accessit et ad vtraque examina admissus est, in quibus ita se praestitit, vt omnium plausu atque vnanimi suffragio ei summi in arte nostra honores decernerentur eique venia suam dissertationem inauguralem e cathedra publice defendendi concederetur. Publicae huic disputationi dictus est dies IV Martii. Solemnem hanc panegyrim vt **MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, S. R. I. COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, ILLVSTRES, ATQVE EXCELLENTISSIMIQVE PROFESSORES, VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI COMMILITONES CETERIQVE LITERARVM ET BONARVM ARTIVM FAVTORES** praesentia sua solemniorem et illustriorem reddere velint, officiose rogo. P. P. Sub Sigillo Facultatis a. d. I Martii MDCCXC.

(L. S.)